UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Reconciliatio

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

bationes ex propoſitionibus conficiantur, & ratiocinationes quæſtionibus ſint. *lib.1.Topic.c.5.*

Ratiocinationum eſſentia rei principium eſt. *Metaphyſ. libr.12. cap.4.*

Eorum omnium quæ vel medio continentur, vel concluſione vna eſt & eadem ratiocinatio: ſi hæc in concluſione ponantur in medio. *lib.2, de 1.Reſolut.cap.1.*

Poteſt fieri vt pronunciata vera ſint ea, quibus conſtat ratiocinatio, nonnunquam etiam falſa: alterum vt verum ſit, alterum falſum. *lib.2.de Reſolut.c.2.*

Neque ratiocinatio efficietur, ſi pro habitu ſumas res eas, quæ ab habitu appellationem habent, vt ſi pro ſanitate ſanum collocetur, pro morbo ægrum. *lib.1.de Reſolut.c.36.*

Quoties aliquid ratiocinatione concludimus, non ſumimus quid ſit ratiocinatio quandoquidem eſt ita ſemper affecta vnaquæque propoſitio, ex qua conſtat ratiocinatio ad alteram: vt illam veluti totum, aut veluti illius pars quædam reſpiciat. *lib.2. de Demonſt.cap.6.T.5.*

Dialectici aut ratiocinatione, aut inductione diſſerunt. Vtraque enim argumentatione ex iis quæ ante cognita ſunt id quod quæritur, docetur. Illa quidem acceptis quibuſdam quaſi perceptis & cognitis ab iis quibuſcum diſputatur. Hac vero, ob id quod res vniuerſa efficitur per ſingularia, quæ ſunt vnicuiq; manifeſta. *lib.1.de monſtrat.c.1.T.1.*

Is qui ſcite ratiocinatur & concludit rebus non dubiis & perſpicuis: id quod dubium eſt, aperit & oſtendit. *li.8.Topic.c.3.*

Eiuſdem eſt tam quod credibile eſt, quam quod credibile videtur perſpicere, vt Dialecticæ tam ſyllogiſmum quam apparentem ſyllogiſmum. *Ariſt.li.1.Rhet.ad Theodect.c.1.*

Rebellio.

¶ LOCI BIBLICI.

REbellio damnatur. *Deut.*21.v.27, 1.*Sam.*15.23. Rebellionis merces. *Eſa.*45.34.

Rebelles in Moſen comburuntur, *Num.*16.v.35. Rebelles Iſraelitæ, *Deut.*9.24.& 31.27. Core, &c. *Num.*16.v.1.

¶ EXEMPLA BIBLICA.

Rebellionis *exempla*: Iſraelitæ, *Exod.*16, v.20. *Num.*14.4.& 26.9. *Deut.*9.23.24. Core, Dathan & Abiron, 16.12.14. Ieroboam, 1.*Reg.*11.26. Zambri, 16.9.16 Serui Benadad, 20.32. Oſee, 2.*Reg*, 17.4. Ioiacim, 24.5. Sedechias, v.20.2.*Paralip.*36.13. *Ezech.*17, 15.16. Edom, 2.*Paral.*21.8.9.10. Iudæi, 1.*Eſdr.*4.v.12. Subditi Alexandri, 1.*Machab.*11.v.14 Philippus, 2.*Machab.*13 v.23. Minatur etiam Deus ſe fame, peſte & gladio perditurum Sedeciam & populum Iudaicum, aliaſq; omnes gentes, quæ detrectent ſeruire regi Babel, *Iere.*27.8. *Ezech.*17.13. Alter Hebræorum litigantium, *Act.*7.27. Iſraelitæ, *Rom.*10.21.

Rebellis dicitur, qui ſemel & iterum victus, atq; in deditionem receptus, malitioſe bellum inſtaurat, & legitimo domino obedire recuſat. Is variis nominibus, peruicaciam ſuam pingentibus, ab Hebræis traducitur, vt à Latinis appellatur, apoſtata, defector, proditor, perfidus, &c.

Reconciliatio.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

REconciliatio, Græce καταλλαγή, διαλλαγή, ῆς, ἡ, & διαλλάττω, reconcilio dicitur. Eſt autem reconciliatio amicitiæ reparatio, *ſecund.B.Thom.4.ſent.diſt.*15 *q.*1.*art.*5. Venit autem reconciliatio à reconciliare, quod eſt in gratiam reſtituere, quoties ſcilicet amici qui interpoſita aliqua offenſa, aliquandiu fuerint, in priſtinã redeunt beneuolentiam familiaritatem. Venit, autem à concio, *quæ quid ſit, vide ſupra in Concio.* Hinc fit concilium, multitudo populi conſulendi gratia congregata à quo conciliabulum, locus in quo concilium congregatur.

¶ LOCI BIBLICI.

Reconciliatio cum Deo per Chriſtum, *Rom.*5.v.10.11.12. *Corinth.*5.v.18.19. *Coloſſ.*1.v.20.22. Reconciliatio cum fratre præcipitur, *Matt.*5.24 *Iac.*5.v.16. Reconciliationis ſeu expiationis dies, *Leuit.*23.27.

¶ PATRVM SENTENTIAE.

Si abſens eſt, vade non pedibus corporis, ſed animo humili te proſternas in conſpectu eius, cui oblaturus es: ſi præſens eſt, reuocandus eſt ad mortem ab eo veniam petendo, ſi eum læſiſti vel ſi te læſerit, dimittendo rancorem. *Auguſt.in Matth.*5.

Sciendum quod ille recte delicti ſui veniam poſtulat, qui prius hoc, quod in ipſo delinquitur: relaxat. Munus enim non accipitur, niſi ante diſcordia ab animo pellatur, dicente veritate: Si offers munus tuum, &c. Quantum repenſandum eſt, cum omnis culpa munere ſoluatur, quam grauis eſt culpa diſcordiæ, qua nec munus accipitur, nec proximus reconciliatur. Debemus itaq; ad proximum quamuis longe poſitum longeque diſiunctum mente ire, eiq; animum ſubiicere, humilitate ac beneuolentia, *Gregor.dial.lib.*4.

Si cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare: ſi verbis, verbis: ſi factis, factis. Non enim quem factis læſiſti, ſine factis placauerit. Sine cauſa oras Deum, ſine cauſa eleemoſynas facis de rebus quibus ſpoliaſti. Quid enim prodeſt, ſi vnus ad Deum pro te orat, & alius aduerſum te Deum interpellet? iuxta illud Eccleſiaſtici 34. Dona quorum non probat Altiſſimus, *Chryſoſtom.in Matth.*5.

Fruſtra propitiari ſibi Deum quærit: qui cito placari proximo negligit. *ibid.*

Si tantummodo non lædas eum, qui te læſit, auertas tamen te ab eo, nec libenter eum videas, manet ſine dubio vulnus in pectore, & dolor angueſcit in corde. Quod ſi eſt, nondum vtique, quod Chriſtus mandauit, expletur. Nunquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, vt non te quidem lædat, auertat ſe tamen à te, & peccatorum tuorum memoriam teneat, & videre te nolit? Igitur qualem vis erga te eſſe Deum, quum delictorum veniam poſcis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te. *lib.de compunctione cordis.*

Si ad menſam cuiuſq; potentis hominis, nemo præſumit cum ſciſſis veſtibus & iniquitatis accedere, quanto magis à conuiuio æterni regis, id eſt, ab altari domini debet ſe vnuſquiſq; cum dia, odii veneno percuſſus, iracundiæ furore repletus cum reuerentia & humilitate ſubtrahere, propter illud quod dicitur: Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? *Aug. in ſerm.conſecrationis Eccl.*

¶ POETICÆ SENTENTIÆ.

Plaut. in Amph.

Nam in hominum ætate multa eueniunt huiuſmodi,
Capiunt voluptates, mox rurſum miſerias.
Iræ interueniunt, redeunt rurſum in gratiam.
Verum iræ ſi quæ forte eueniunt huiuſmodi
Inter eos, rurſum ſi reuentum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius.

Terentius.

Amantium iræ, amoris redintegratio eſt.

¶ SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Diſſenſio ab aliis, à te reconciliato incipiat, cum ignoſcis, tu beneficium tuum tempera, vt non ignoſcere videaris, ſed abſoluere, quia grauiſſimum pœnæ genus eſt, contumelioſa venia. *Seneca lib. de Moralib.*

¶ APOPHTHEGMATA.

Euclidi cum fratre ſimultas erat: Is quum minitans dixiſſet, Diſpeream ni te vltus fuero: Euclides contra, Diſpeream (inquit) ne tibi perſuaſero. Hoc dicto ſoluta eſt ſimultas, & redit um eſt in gratiam. *Eraſ.li.6 apoph.*

M.Craſſus. Quum Pompeius & Craſſus in conſulatu collegæ deceſſuri eſſent magiſtratu, ſibi viſum in ſomnis, Iouem iuſſiſſe ne prius ſe magiſtratu abdicarent, quam in gratiam rediiſſent. Idem flagitante populo, Pompeius nihil motus eſt: at Craſſus ſurgens, ſuo collegæ dexteram porrexit, dicens: Nihil, ô Quirites, me indignum facturus mihi videor, ſi prior cum Pompeio in gratiam rediero, quem vos etiamnum impuberem Magnum cognominaſtis: cuiq; prius triumphum decreuiſtis, quam in ſenatum allectus eſſet. *Plut. in Craſſo.*

Cicero. Craſſus in Syriam profecturus, malens Ciceronem amicum quam inimicum relinquere, officioſe ſalutato dixit, ſe apud illum velle cœnare: quem Cicero alacriter excepit. Poſt aliquot dies quidam amicorum egerunt apud Ciceronem, vt cum Vatinio quoque rediret in gratiam. Num, inquit, & Vatinius mecum cœnare vult? Significans, illum cœnam ambire potius quam amicitiam. *Eraſ.li.4.apoph.*

Ludouicus XII.Gall.Rex. Anna regina eius vxor, acrius & ſæpe apud eum inſtabat, & tandem ſe adepturam ſperabat, vt Claudiam filiam (poſtea Franciſci Valeſi coniugem) deſponderet Carolo V. Maximiliani Cæſaris nepoti. Sed rex ſapientiſſimus, veluti præſagiens inter Hiſpanos & Gallos nullam poſſe iniri reconciliationem, ſed animo diſcordes perpetuo fore: Tu vis, inquit, fœdus ferire inter feles & mures. *Ex lib.facete dictorum à Ludouico, qui commentariis Æneæ Syluii de dictis & factis Alphonſi adiunctus eſt.*

¶ SIMILITVDINES.

Nazianzeni. Veluti ſi quis ramum arboris in aliam partem vi detorqueat aut inflectat, cum forte remiſerit, in id quod fuerat ad matris pectus recurrit, & naturæ prioris obtinet locum, atq; oſtendit quod violenter quidem declinatus fuerit, non tamen rediens violenter: Ita qui contra naturam aut debitum ſegregati fuerunt, aut diſceſſi, quanto diffuſius ſuparati fuerint, tanto ardentius & inſtantius adiuuantur. *Lib.7.de reconciliatione.*

Caſtitas

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

...rw, id eſt, ſtannum aut plumbum album, æs ruptum fer-
..., vtcunque contingens propter affinitatem quam habet
...que: Ita amicus amicitiam ac beneuolentiam diſruptam
...are debet, vtrique ſe accommodans ex æquo, Plutar-

...facile accenditur in paleis, & pilis leporinis, ſed idem mox
...ur, ſi nihil addas: ſic iræ amantium, aut nuper coniugato
...emo ſe admiſcuerit. *Plut.*
...ryſtalli fragmenta ſarciri nullo modo poſſunt: Ita difficilli-
...os reconciliare, qui ex arctiſſima familiaritate in mutuum
...venerint. *ibid.*

¶ EXEMPLA BIBLICA.

...onciliationis cum proximo offenſo *Exempla*: Iudas. *Geneſ.*
... Fratres Ioſeph, 50. *v.*17.18.19.20, Pharao, *Exod.*10. *v.*16.17. II-
... *Samuel.*12. *v.*18.19. Semei, 2. *Samuel.*19. *v.*19.

...Vide *Amicitia, & Venia.*

Recordatio.

¶ DEFINITIO ET ETYMOL.

...ecordatio eſt eorum quæ in memoria exiſtebant, quæ qua ſi ...collapſa, ac pene obliterata erant, reſumptio & inſtauratio.

Recordatio eſt notiorei alicuius à natura nobis ingenita, ...facile quiduis percipimus, cum veris aſſentimur & rerum diuer... formas ingenii dexteritate magna percipimus, earundem re... videmur, quæ mentis dexteritas Notio dicitur: & eſt quaſi ...dam mentis ad res percipiendas accommoda, qua illuſtra... ...mus ſolum natura duce, vel ſine doctore multa cognoſcit, ...eum eſſe, vel res à magiſtris traditas facile percipit. *Sebaſtian.* ...*in Platonis Phædonem.*

¶ LOCI BIBLICI.

...recordemur beneficiorum Dei, exhortatio, *Deut.*8.2. Recor... Deus noſtri, cum nos liberat aut aliquid donat. *Gen.*50. *v.*29.1. ...1. *v.*1.

¶ PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

...ecordatio tum deniq; accidit & efficitur, cum motus vnus ani... ...vim habet, vt alterum conſequatur. *lib. de Memor. & Re-* ...*c.*2.

...um recordatur homo quodammodo poteſt per ſe moueri ad ...quæ principium ſequuntur: cum non poteſt per ſe, ſed aliena vi ...peeget, non iam meminit. *ibid.*

Facile eorum recordamur, quæ ſæpe cogitamus. *ibid.*

Recordatio in nullo alio animantium quæ nota ſint, niſi in ho... ...e reperitur, propterea quod recordatio ratiocinatio quædam ... *ibid.*

Recordatio memoriæ, repetitio aut ſuſceptio non eſt.

Recordatione plus valent celeritate ingenii præditi & dociles ho... ...nes. *lib. de Memor. c.*1.

Quæ in recordatione & expectatione conſiſtunt, à ſenſu etiam ...tatur: aut enim eorum quæ ipſis euenerunt, recordatione ho... ...nes lætantur: aut eorum quæ ſperant expectatione. *li.*7. *de Nat. c.* ...1.19.

Recordationem ponit Plato, Ariſtoteles præexiſtentem cogni... ...nem in intelligendo, in qua re nulla eſt diſſenſio.

Recordatio etſi exiſtat, tamen nihil in lucem educi poteſt, niſi ...ſenſuum perceptione.

Recordatio partim fit à ſimili, partim à diſſimili, & cum à ſimi... ...ilius recordatur, cogitat an hoc deficiat ſecundum ſimilitudinem, ...non ab eo cuius recordatus, *Plat. in Phæd.*

Recordatio eſt maxime cum alicui viſo aliquo alterius quis me... ...init, cuius per tempus, & eo quod diu conſpexit oblitus eſt. *idem.* ...*ibid.*

Recordatio fit cum quis aliud quid viderit vel audiuerit, aut ali... ...quo ſenſu perceperit, & non ſolum illud cognouerit, ſed etiam de ...o cogitauerit, cuius non eadem eſt ſcientia, ſed alia *ibid.*

Recordatio eſt cum anima ipſa in ſe ipſam reſumit abſque cor... ...pore quod cum corpore anima pertulit, & cum de perdita me... ...moria ſeu ſenſu rei, quam didicit anima in ſe ipſa vertat. *Plat. in* ...*Phæd.*

Recordatio non fit niſi quis prius hoc aliquando ſciuit. *idem ibi.* ...*Plat. in Phæd.*

Recordatio eſt ſapientiæ deficientis influxio. *Idem, de leg. dia-* ...*log.*5.

Recordari eſt repetere ipſum in ſe ipſum ſcientiam. *De Vir-* ...*tut.*

Recordatio accommodatur rebus deliberatiuis, hoc eſt, iis quæ præceptis artificialib. & theorematibus percipiuntur, *Chalc. in Tim.* *Plat.*

Recordatio, vt ait Plato, eſt ſapientiæ deficientis influxio, quæ influxio tum à corpore ſeu rebus corporeis, tum à virtute ſeparata, emergit. *Gabriel Birathus de reminiſcentia, li.*4.

Vide Contemplatio, Memoriæ, Obliuio.

Recreatio.

¶ POETICÆ SENTENTIÆ.

Lucanus ad Piſonem.

Nec enim facundia ſemper
Adducta cum fronte placet: nec ſemper in armis
Bellica turba manet: nec tota claſſicus horror
Nocte dieq; gemit: nec ſemper Gnoſſius arcu
Deſtinat, exempto ſed laxat cornua neruo:
Et galea miles caput, & latus enſe reſoluit,

Ibidem.

Ignea quin etiam Superum pater arma recondit;
Et Ganymedea repetens conuiuia menſæ,
Pocula ſumit ea, qua geſſit fulmina, dextra.

Horat. 2. Serm. 6.

Quo, bene, circa.
Dum licet in rebus iucundis viue beatus.

Perſius. 5.

Indulgo genio. carpamus dulcia: noſtrum eſt,
Quo viuis: cinis, & manes, & fabula fies.

Martialis. 7.

Viue velut rapto fugitiuaque gaudia carpes:
Perdiderit nullum vita ſerua diem.

Idem 10.

Gaudia tu differs: at non & ſtamina differt
Atropos, atque omnis ſcribitur hora tibi.

Tibullus. 1. 8.

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.

Sen. Herc. fur.

Poſt multa virtus opera laxari ſolet.

Stat. 4. Syl. 4.

Noſtra fatiſcit
Laxaturque chelys, vires inſtigat, alitque
Tempeſtiua quies, maior poſt otia virtus
Talis cantata Briſeide venit Achilles
Acrior, & poſitis erupit in Hectora plectris.

¶ APOPHTHEGMATA.

Anaxagoras publice decretis honoribus animo magno repudiatis, id ſibi omnino poſtulaſſe commemoratur, vt quo die mortem obiret, pueris, qui diſciplinis & artibus operam darent permitteretur feriatos otiari & ludere. Senſit enim vir doctiſſimus, ingenia adoleſcentium nimio ſtudio frangi, refocillatione autem aut recreatione ad nouos labores agiliores fieri *Plut. in Polyticis.* Vel potius ratione ſibi famam comparare curauit.

Amaſis Ægypti rex ab amicis reprehenſus, quo perfunctus negotiis forenſibus potaret, omniq; voluptatum genere ſolueretur, reſpondit: Qui arcus habent, eos non intendere niſi quum opus eſt: quos ſi ſemper intendant, rumpendos eſſe, ac ne tum quidem fore vſui, quum exigit vſus. Ita qui nulla relaxatione curas ſuas ſoluunt, aut menſe captos, aut corpore male affectos euadere. *Bruſ. li.*4, *ca.* 28.

¶ SIMILITVDINES.

Plutarchi, vt ſunt vices ſomni & vigiliæ, noctis & diei, tempeſtatis & ſerenitatis, belli & pacis Ita labores leuandi ocio & luſibus. *in Moralib.*

Lyram & arcum remittimus, quo melius poſſint tendi: Ita recreandus ocio animus, vt ad labores reddatur vegetior. *idem, ibidem.*

Auriga non ſemper adducit habenas, ſed aliquando remittit: Ita pueris nonnihil indulgendum. *ibid.*

Vt arcus tenſus rumpitur: Sic animus remiſſus frangitur. *Apud Eraſmum.*

Ciceronis: quemadmodum volucres videmus procreationis atq; vtilitatis ſuæ cauſa fingere atq; conſtituere nidos, eaſdemq; autem cum aliquid effecerint, leuandi laboris cauſa paſſim ac libere ſolutas opere violare: Sic noſtri animi, negotiis atq, opere defeſſi geſtiunt. & volitare cupiunt, vacui cura & labore. *Lib. de Oratore.*

Senecæ: quemadmodum celator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atq; reuocat, & (vt dici ſolet) paſcit: Sic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibuſdam oblectamentis reficere. ſed ipſa oblectamenta opera ſint, ex his quoq; ſi obſeruaueris, ſumes quod poſſit fieri ſalutare, *Libro* 2 *epiſt.*59.

Plinii: vti nouales licet alternis interquieſcant annis, tamen eam ceſſationem vbertate compenſant Ita relaxatio in-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN